

# **Landesbibliothek Oldenburg**

## **Digitalisierung von Drucken**

### **Friderici Iacobi Beyschlagii, Gymnasii, quod Halæ Suevorum est, Adiuncti, & ad ædem S. Mich. Archangeli Catechetæ extraordinarii, Sylloge Variorum Opusculorum**

(Programmatvm, Orationvm, Epistolarvm, Poematvm, Dissertationvm, Aliarvmqve Observationvm ... )


Fascicvlos I.II.III.IV.V. Ab Annis MDCC.XXVII.M.DCC.XXVIII.M.DCC.XXIX. Editos, Complexvs. Cvm Indice Triplici.

**Beyschlag, Friedrich Jakob**

**Halae Suevorum, M.DCC.XXIX**

- I. De Perillvstris Reipvblicae Norimbergensis Munificentia erga litteras & litteratos, testimoniis eruditissimorum virorum, maxime exterorum, confirmata, Dissertatio Epistolica M. Sigismvndi Jacobi ...

**urn:nbn:de:gbv:45:1-16134**



I.  
DE

PERILLUSTRIS REIPUBLICÆ  
NORIMBERGENSIS

Munificentia erga litteras & litteratos,  
*testimoniis eruditissimorum viro-  
rum, maxime exterorum, confirmata,*

Dissertatio Epistolica  
M. SIGISMUNDI JACOBI  
APINI,

*Prof. Publ. Nor. (\*) & Academiae  
Imper. Nat. Cur. Socii,*

AD

Virum Pl. Reverendum Doctissimumque  
FRIDERICVM IACOBVM  
BEYSCHLAGIVM

Gymnasii, quod Halæ Suevorum est, Ad-  
iunctum, & ad Ædem S. Michaelis Archangeli  
Catechetam extraordinarium  
optime meritum.

Tom. I. Fasc. V.

Ooo

Vir

(\*) Nunc Rectoris Scholæ Ægidianæ Brunsvi-  
gensis, uti Sectio secunda docet.

*Vir Pl. reverende atque doctissime, Fautor & amice honoratissime.*

**R**ecitavit apud nos iam ante tres fere annos perquam generosus & in Musarum non minus, quam patriæ ornamentum natus, Dn. *Carolus Alexander Grundherr ab Altenthan &c.* orationem concinnam & elegantem *de munificentia perillustris Reipublicæ Norimberg. erga litteras & litteratos*, dignam sane, quæ publicaretur aliquando, quia meo qualicunque iudicio delegit argumentum & pium & grave, idque exemplis a tempore purioris Evangelii doctrinæ in Ecclesiam receptæ, ad nostrum usque ævum egregie illustravit. Cum igitur ad te, Vir Nobilissime, aliquid scribendum esse existimaverim, in hoc argumento persistere, & quando ille potissimum *documentis rerum in patria extantibus* thema suum instruxit & confirmavit, ego hanc *perillustris Reipubl. Norimbergensis munificentiam erga litteras & litteratos, testimoniis eruditissimorum virorum, maxime exterorum, uberrius declarare volui*, quod tibi, utpote patriæ meæ amantissimo, non ingratum futurum, Tua me sperare iubet humanitas.

Adco

Adeo autem hæc perillustris *Reip. Norimbergensis* virtus per orbem longe lateque effulsit, ut in ea celebranda & commendanda certatim præclarissima ingenia vim suam experirentur. Vt enim brevitatis causa nunc taceam *Lutherum*, *Melanchthonem*, *Laonicum Chalcondylam*, hominem Græcum, patria Atheniensem, qui sæculo decimo quinto floruit, *Aeneam Sylvium*, Cardinalem & Episcopum t. t. Senensem, *Erasmum Roterodamum*, *Julium Cæsarem Scalligerum*, *Erasmum Mich. Latum*, Professore Hafniensem, & alios plures, qui singuli in decantandis Norimbergæ laudibus singularem operam posuere; nunc saltem inter primos meminisse iuvabit *Conradi Celtis Protucii*, qui primus Germanorum laurea poetica, ipsiusque *Friderici III.* Imperatoris manu, ex commendatione *Friderici Sapientis*, Saxonix Electoris, decoratus est. Huius igitur Cl. viri elegans extat libellus, aliquot ante Reformationis Evangelicæ initium annos editus (a) *De origine, situ & institutis Noribergæ*, in quo inter alia, quæ

Ooo 2 se-

(a) Norimb. 1502. 4. postea inter opera Illustris Pirckheimeri relatus, ut & Franc. Irenici Exegesi Germanix iunctus, fol. Hanovix 1728.

sequuntur, notatu dignissima, leguntur verba, paucis forte adhuc observata, a nemine, quod sciam, in historiis rerum Norimbergæ memorabilium relata. Posteaquam enim is multa de liberalitate Reip. erga pauperes dixerat, adde, tandem inquit, huic pietati pauperes adolescentes, a rure & ceteris urbibus, disciplinarum & litterarum causa, influentes, quos urbs quatuor publicis Gymnasiis larga manu fovet. Accedit ad Italicarum Urbium morem & imitationem, pro ingenuis pueris & adolescentibus erectum stipendium centum aureorum, quo vir in Romanis litteris eruditus, in poetica & oratoria in publica domo legit: ad id stipendium primus a Monaco HEINRICUS GRENINGERUS vocatus, Vir in Romanis litteris exquisita doctrina olim in Italia institutus, vita & morum honestate conspicuus, & singulari humanitate præditus. Eius erectionis & stipendii autor apud Senatum, genitor hospitis mei, Joh. Pirckheimer fuit &c.

Apparet hinc, primordia Gymnasii & auditorii publici Norimbergensis aliquanto vetustiora esse, quam, qui de eo hætenus commentati sunt, omnes perhibuerunt; quacunq[ue] demum in æde tunc collocatum  
id

id fuerit. Testatur porro de eadem munificentia *Perillustris Reipublicæ* primus ille ac celeberrimus inaugurati A. M. D. XXVI. *Ægydiani Gymnasii Professor Eob. Hæssus* in Epistola ad *Euricium Cordum*, Medicum & Poetam eruditum; (a) Credo, ait, scire te, quo stipendio hic doceam, diebus singulis horæ duntaxat una, nempe aureis CL. quod profecto stipendium, pro temporis illius conditione & vilitate, exiguoque rerum necessariorum pretio sic satis amplum fuit. Ampliora istis commemorat insignis sæculi sui Philosophus & Orator, novæque Sæctæ conditor *Petrus Ramus* (b) testis extraneus, natione scilicet Gallus, quæ gens alias admodum parca esse solet in laudibus nostratum. De illo autem memoriæ prodidit *Thomas Freigius* (c) quod advenæ & Norimbergam invisenti lautissimum convivium publico Magistratus nomine fuerit instructum. Ipse autem *Ramus* non in uno

O o o 3

loco

(a) Quæ continetur in libello epistolas & alia monumenta doctorum complectente, edito per Joachimum Camerarium, Lips. 1568. 8.

(b) In scholis mathem. passim.

(c) In vita Rami, eius præf. orat. & epistolis adiecta, p. 616.

loco libri citati munificentiam *Perillustri Reip. Norimbergensis* erga litteras laudat, & tandem hoc addit pium votum: *Superi tibi Norimberga gloriam istam perpetuo conservent atque augeant!* Hinc recte iudicavit *Erasmus Reinholdus*, (a) *Rami testimonia confir- mans, hæc seminaria* (scilicet doctrinæ mathematicæ) *Noribergæ sparsa sunt. Quare usque ad hæc tempora in ea urbe magis harum artium studia florent, quam in plerisque Aca- demiis, quia sapientissimo Senatus consilio sti- pendium certum artium studiosis constitutum fuit, ut ad earum cognitionem iuventus ad- suefieret &c.*

Ne vero in congerendis eruditorum testi- moniis excedere modum videar, vel uni- cum adhuc *Phil. Andr. Oldenburgeri* addu- xisse sufficiat. Extulit enim hic celeberrimus vir *Noribergam* variis encomiis (b) seorsim propter inclytam, quam sustentat *Academiam Altorfinam*, & de ipsa denique urbe sic proficetur: *Vigent Norimberga scien- tia, antiquitas, historia, politica cum eloquen- tia ibi florent. Et paulo post - - Bibliothecam huius*

(a) In Oratione de Regiomontano, quæ est in- ter Declamat. Melanchthonis T. I. p. 605.

(b) In Thesauro Rerump, P. IV. p. 1328.

*huius nobilissimæ Reip. post Imperatoriam, Regiam Gallicanam, & Augustam Guelphicam quartum locum occupare peregrinantes asserunt. Posset longe pluribus, si opus esset, Cl. virorum testimoniis confirmari, quanta semper fuerit laudatissimæ Reip. nostræ in bonas artes ac litteras harumque studiosos munificentia, & quanta liberalitate in iisdem provehendis usæ sit; dum non modo peregrinos sæpe homines, aliqua ingenii aut doctrinæ præstantia sibi commendatos, honorifice ad varia sua munera invitavit, & liberale illis hospitium patrocini-umque præstitit; verum etiam e suo gremio præstantissima subinde ingenia educavit, neque paucos suorum civium varia eruditione exornatos eadem facilitate, qua alienigenas recipere consuevit, aliis regionibus concessit: id quod VIR Celeberrimus, & laudes meas dudum supergressus, Christian Gottlieb Schvvarzius, Sacræ Cæs. Maiestatis Comes Palatinus, & Ordinis Philosophici in Academia Altorfina Senior meritissimus, meusque olim præceptor ad vitæ dies venerandus, diversis programmatibus iam edocuit (a) partim, partim, quod*

Ooo 4

(a) Quæ nempe sistunt Norimbergenses non-

quod sane vehementer expetendum est, pluribus in posterum declarabit.

Sufficiunt hæc, *Amice honoratissime*, quæ hætenus, pietate erga dilectissimam patriam ductus, in medium protuli, humanissime rogitans, ut boni consulas operam meam, & si alia, a me non allegata, testimonia, TIBI nota, occurrant, ea mecum in Sylloge (\*) Opusculorum variorum benignissime communices. Qui de reliquo ad totam meam epistolam respiciens, eam claudo piis votis, & ab *Andr. Lymoico*, natione Cimbri, mutuatis (a) hanc in rem bene congruentibus verbis:

*Vrbs igitur valeas, toto notissima in orbe.*

*Cultrix iustitiæ: vera pietatis amatrix:*

*Artificum mater: Francorum gloria prima.*

Vale, Vir doctissime, & bene de Rep. litteraria mereri perge. Noribergæ A. O. R. M. D. CC. XXVIII.

nullos de Academia Lipsiensi, Wittebergenfi, Jenensi, Argentoratenfi, Ingolstadiensi &c. optime meritos.

(\*) Humanissimæ huic invitationi dabo forte alio tempore in hac Sylloge locum, quamprimum eiusmodi testimonia, pridem mihi aliud agenti lecta, in memoriam recurrant. B.

(a) Vid. Reusneri Lib. Hodoeporicorum, p. 304.

## II.

AD VIRUM CELEBERRIMUM,  
AMPLISSIMUM ATQUE  
DOCTISSIMUM,

DN. M. SIGISMVNDVM JA-  
COBVM APINVM,

*Rectorem Scholæ Ægidianæ Bruns-  
uigensis nuper constitutum, dignissimum,*

Academiæ Imperialis Naturæ Curiosorum  
Socium, Solinus II. dictum, Fautorem &  
amicum suum optimum,

EPISTOLA RESPONSORIA  
FRIDERICI JACOBI BET-  
SCHLAGII,

*Qua institutum suum de vita B. JO. BRENTII  
copiose describenda, uberius declarat.*

**Q**ua ratione gratias TIBI agerem, VIR  
Celeberrime, pro erudita epistola  
ad me TVA, quam sectio præce-  
dens sistit, quum diligenter circumspice-  
rem, nullum mihi succurrebat argumen-  
tum magis opportunum, quam hoc ipsum,  
de quo publice TE certiore reddere iuvat,

Ooo ;

de